



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 148. Lazari Bonamici mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CXLVIII.

Lazari Bonamici mors.

*Thu. l. c.
Joan. Imper. in Mu-
sæo hist.
Spond hoc
ann. n. 20.*

Lazarus Bonamy, seu Bonamicus Bassani in Territorio Tarvisino natus Patrem habuit sua professione colonum, qui filium suum pariter ad agriculturam destinaverat, ac eidem, quamvis in illo literarum amor longe prævaleret, ægre admodum permiserat, ut vacaret studiis, quibus tamen brevi tempore ob linguarum peritiam, atque exactam antiquitatum cognitionem tantam sibi nominis famam comparabat, ut Reginaldus Polus, qui cum eo Patavii consuetudinem junxerat, illum Romam secum adduceret, ubi tamen Lazarus Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo sexto tam librorum, quam scriptorum jacturam fecerat, cum eo tempore urbs a Cæsareo milite spoliaretur. Hoc damno admodum afflictus Patavium rediit, ubi artis Rhetoricæ Professor reliquos vitæ suæ dies admodum pacate transegerat, quin ullo pacto pro acceptandis aliis dignitatibus, aut officiis ad deserendam hanc urbem induci posset, licet Bononienses eidem amplissima obtulissent præmia, ut illum ad suam Academiam pellicerent. Insuper Ferdinandus, qui tum Hungariæ Rex erat, illum ad au-
lam

lam suam accersere nitebatur, nilque Sæcul. XVI.
 intentatum relinquebat Clemens VII. A.C. 1552.
 Papa, ut hunc Scriptorem Romam
 pertraheret. Hic quietem suam præfe-
 rebat summis etiam honorum fastigiis,
 quæ aliunde bene moratæ indolis Vi-
 rum beatum reddere nequeunt. Por-
 ro Lazarus nonnisi quasdam epistolas,
 ac sermones posteritati reliquit, eum
 tamen Cardinalis Bembus, aliique il-
 lius ævi Doctores celeberrimi summo in
 honore habebant. Obiit tandem die
 octava Februarii Anno Dominicæ In-
 carnationis millesimo quingentesimo
 quinquagesimo secundo, postquam sep-
 tuagesimum tertium ætatis suæ annum
 expleverat, eique defuncto Hierony-
 mus Negro, seu Niger Venetus oratio-
 ne funebri parentabat. Ceterum hic
 idem Scriptor probe discernendus ve-
 nit ab alio quodam Francisco Bonami-
 co, qui itidem sua eruditione percele-
 bris evaserat.

§. CXLIX.

Paulus Jovius Historicus mortuus.

Exeunte hoc anno die undecima De-
 cembri Florentiæ extremum diem Thu. hist. l.
 pariter clauserat Paulus Jovius celebris ii. p. 351.
 Historicus Novocomii in Longobardia versus finem
 natus. Expleverat is ætatis suæ an- Spond. hoc
 num sexagesimum nonum, septem men- ann. n. 20.
 ses,